



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*De illis qui Christi pecunias auferunt vel rapiunt.**Caput XVIII.*

Qui abstulit, inquit, aliquid patri, homicidæ particeps est. Pater noster, sine dubio, Deus est, qui nos creauit.

Mater verò Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regenerauit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, rapit, aut fraudat, homicida est, atq; ante Deum homicida deputatur. Qui enim res Ecclesiæ abstulerit, sacri legium facit, & vt sacrilegus iudicandus est.

*Ex epist.
Anacleti
papæ cum
clis fide-
bus missa*

De eadem re. Cap. XIX.

Rerum Ecclesiasticarum & facultatū raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizantes apostolica autoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus, & non solum eos, sed etiam omnes consentientes eis: quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt rei iudicantur. Augustinus dicit: Qui aliquid de Ecclesia furatur & rapit, Iudæ proditori comparatur.

*Ex decret.
Lucii pa.
cap. 10.*

De eadem re. Cap. XX.

Hic qui dederit vel acceperit oblationes altaris, præter episcopum vel eius missum, & qui dat & qui accipit, anathema sit.

*Ex concil.
Gægren.
cap. 8.*

De eadem re. Cap. XXI.

Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam rapere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, anathema sit.

*Ex concil.
apud S.
Medardū,
cap. 1.*

De eadem re. Cap. XXII.

Vti hi qui monasteria & loca Deo sacrata & Ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, dampnum nouies componant, & emunitatem tripliciter, & velut sacrilegi canonice sententiæ subigantur.

*Ex decret.
Ioannis
pa. ca. 10*

*De his qui domum Dei contemptibilem ducunt.**Caput XXIII.*

Quisquis fastu superbiæ elatus, domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo sacratas, atque ad honorem Dei sub regie emunitatis defensione constitutas, inhonestè tractauerit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetrauerit, quasi inuasor & violator Ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei viui, à communione omnium fidelium abscindatur.

*Ex concil.
Mogūti,
cap. 7.*